

sed pia, & laudabilis veneratio.

His præmissis videndum, an hodie sit necessarium, & expediens definire ex Cathedra hujusmodi Mysterium: cui quæsito negative respondendum censemus his nixi argumentis.

XII. Necessariæ in Ecclesia fuerunt definitiones veritatum ex Cathedra, sicut & condemnationes errorum, quando ab hæreticis impugnabatur fides, vel a pravis doctoribus labefactabantur mores. Tunc Pontifices semper vigiles in custodiendo fidei deposito, & servanda puritate doctrinæ, vel immediate ex se ipsis, vel per Ecclesiam in Conciliis unitam definierunt, quæ definienda erant, & anathemate proscripserunt, quæ proscribenda erant. Hujus laudabilis praxis tota historia Ecclesiastica est exemplis referta. Ne tamen plus æquo divertamur in singulis enarrandis, enuntiabimus aliqua & præscorum, & recentiorum Ecclesiæ sæculorum. Arius evomuit blasphemias contra æqualitatem Verbi cum Patre; Macedonius contra Divinitatem Spiritus Sancti; & Nestorius contra unitatem Personæ Christi, & dignitatem Divinæ Maternitatis Mariæ. Summi Pontifices Silvester, Damasus, & Cælestinus in Conciliis Nicæno, Constantinopolitano, & Ephesino definierunt contra Arium Verbum esse homouision, idest Patri consubstantiale; contra Macedonium Spiritum Sanctum esse Deum simul cum Patre, & Filio adorandum; & contra Nestorium Christum esse unam Personam duabus naturis unitam, & Mariam esse, & debere dici Theotocon, idest Deiparam. Similiter Pontifices posteriorum sæculorum damnarunt propositiones dissipantes Ecclesiasticam disciplinam, moresque Fidelium. Martinus Villas Wicleffi, & Joannis Hus. Leo X. Lutheri. Pius V. Baji. Innocentius X. Janfenii. Alexander VII. & VIII. Casuistarum laxorum. Innocentius XI. Michaelis Molinos, & Clemens XI. Paschalis Quæsnelli. Sed sententia de Conceptione Virginis in originali peccato non est error contra fidem, nec contra mores, quia Summi Pontifices, qui supra hoc Mysterium Constitutiones ediderunt, sub gravissimis poenis vetuerunt, ne illa